PETRI
NANNII ALCMARIANI
Apologia ſuper Annotatiunculis in Theophilum, aduerſus quendam Iacobũ Curtium.

Louanij ex officina Rutgeri Reſcij, Menſe Nouemb.
.1536.

PETRI
NANNII ALCMARIANI
Apologia ſuper annotatiunculis in Theophilum, aduerſus quędam Iacobū Curtium.

ETſi cum meo vulnere Græcarū Theophili Inſtitutionum trāſlatio prodiјt, gaudeo tamen ſtudioſorum nomine, cum librum Latinū eſſe factum. Multi nobis hanc ſpem dederunt, inter quos facile princeps eruditiſſimus ille Frāciſcus Craneueldius, Cæſaris Maieſtatis Conſiliarius, & vtriuſq; Iuris Doctor, qui mihi ferme ante biennium, primum ac ſecundum huius Theophili librum exhibuit, ea fide & caſtimonia verborum tranſlatum, vt nihil vnquam viderim, aut integrius, aut elegantius. Sed quia ille grauiſſimis et ampliſſimis negotijs implicit9, vel ſeri9 abſoluit, vel cūctantius edit, quę in manibus habet, gratiæ huic Curtio qualeſcumque agendæ ſunt, quod maturauit. Futurum eſt enim, vt interim eius verſione vtantur ſtudioſi, donec aliorum lucubrationes publicentur. Nec enim puto incœpta de manibus propterea deponent, quod iſte pręuertit. Nam ſi felix hac

in re viſus fuerit, ad æmulationem gloriæ accen di debent, qui illi nec ingenio, nec eruditione cedunt, ſin autem infelix, ab ipſis corrigendũ eſt, quod apud hunc infelicius natum eſt. Omnino enim curandum eſt, ne quid ſtudioſæ iuuentuti deſit, cum qua tum optime agitur, cum multi eiuſdem rei interpretes extiterint. Alius enim alio ſignificantius, fidelius, elegantius reddit, & cum omnes eodem ictus deſtinant, fieri non poteſt, quin ſaltem aliqui ſcopum attingant. Video enim priſcis temporibus priorem interpretationem posteriores ſemper elicuiſſe. Sic poſt Septuaginta interpretes, Aquila, Symmachus, Theodoſion, Hieronymus, alij poſt alios Biblia tranſtulerunt. Nec retardauit Trapezuntius ſtudium Gazæ, quo minus libros Ariſtotelis de animalibus denuo in linguam Latinam retexeret, nec Rodolphi Agricolę prior in Iſocratem tranſlatio, Eraſmum ab iiſdem libris vertendis deterruit. Nunquam ita prior apicula florem delibauit, quin ſecunda ſuos ſuccos inueniret. Hęc mihi eo dicta ſunt, vt ad eos fructus adferendos, quos Curtius ſtudioſis vel attulit, vel ſtuduit adferre, etiã alios adhortarer. Quibuscum iam labor tranſferendi, aut in totum, aut magna ex parte exantlatus ſit, non debent

ſup-

ſuppreſſis ſuis lucubrationibus ſibi gloriam, iuuentuti magnam vtilitatem inuidere. Curtij gloriæ, ſi qua illa eſt, non inuideo, illud doleo, quod nobis ſuggillandis magnū gaudium attulerit oſoribus linguarum, quibus nihil lætius, quam homines eiuſdem linguæ ſtudioſos inter ſeſe conflictari. Ego igitur quo illis ſubtraham materiam gaudendi, nihil in Curtium dicam, niſi quod ratio defendendi mei exegerit, eo enim & meus animus inclinat, & amicorum adhortationes impellunt, inter quos præcipuus eſt D. Haloinus Brugenſis Canonicus, vir apprime & eruditus & humanus, Curtijq́ amantiſſimus, cui ſi parere volo, aut nihil, aut ſine ſtomacho ſcribēdum eſt, quod alterum magni animi, alterum manſueti ſit. Quare exemplum Curtij non imitabor, qui primos ingenij ſui fœtus, alieno ſanguine rubere voluit, ac clypeo magis q̃ telo vtar. Quod ſi denuo prouocer, alia mihi ratio pugnæ habenda fuerit. Vellē autē Curtium ſi omnino lędere ſtatuerat, meam cauſam a Rutgeri Reſcij cauſa ſecreuiſſe. In me illi quidlibet licebat, in Reſcium præceptorem nihil illi pietas concedebat. Sed dulcis ſemper vndecunq́ gloria, voluit ſuo præceptore doctior videri, quo ſibi etiam illud Adagij competeret, πολλοὶ

μαθ

niſi tria laceſſere auſus es, non parſurus reliquis, ſi potuiſſes. Hic ego nõ parum vereor, ne lector me putet iracundum, vel otij abundantem, qui ob tria vellicata loca, Apologiam parem. Suggillat ille fateor, non niſi tria loca, infamia tamen in omnia ſpargitur. Solent enim homines leonem ex vnguibus æſtimare, & mercatores ex pauculis granis, ſpecimen totius acerui exhibere. Quãquã quod ad me attinet, facile hanc indignitatem tolerauero. Reſcij partes deſerere, nec debeo, nec poſſum, quondam pręceptoris mei: nũc amici ſynceriſſimi, & mecum in eadem criminatione coniuncti, pręſertim cum ab eo tam indigne tractetur, cui olim vigilias ſuas, & doctrinam, vt præceptorem decuit, ſedulo impartitus eſt. Hactenus de Curtio, nunc de Curtij cæſuris agamus.

SCRIPSERAM

In Titul. Quibus modis ius patrię poteſtatis ſoluitur, Parag. Pręterea. ἐπὶ πράσκειν αὐτὸν τῷ πατρὶ legendum eſſe pro πατρὶ, ὁ πατὴρ, alioqui tres emancipationes, & tres manumiſſiones, quæ olim in ſoluenda patria poteſtate in vſu erant, ſuum numerum non habere. Deinde quomodo poteſt patri vendi, qui tacita ratione in patriam poteſtatem redijt, vt plenius poſtea docetur, Titul. de bonorum poſſeſſione, Parag. Sunt. εἰ συνέβη μὲ τὸν ἐμὸν ποιοῦντα ἐμαγκιπᾶτον δοῦναί σοι αὐτὸν εἰς πρῶτον μαγκίπιον καὶ δεύτερον καὶ τρίτον. Si in emancipando filio eum tibi tradidero in primum, ſecundum, & tertium mancipium. Patrem autem filium ter ſolere vendere, ſatis apparet ex commentarijs Caij, Titul. prioris libri ſexto, vbi ſic loquitur. Sed filius maſculus, tribus emancipationibus de patria poteſtate exit, & ſui iuris efficitur. Emãcipatio autem, hoc eſt, manus traditio, quædam ſimilitudo eſt venditionis, quia & in emancipationibus pręter illum, hoc eſt, certum patrẽ, alius pater adhibetur, qui fiduciarius nominatur. Ergo naturalis iſte pater, filium ſuum fiduciario patri manci

pat,hoc eſt,manu tradit,a quo fiduciario patre, naturalis pater vnum aut duos numos, quaſi in ſimilitudinem pretij accipit,& iterũ eũ acceptis numis,fiduciario patri tradit. hoc ſecũdo & tertio fit,cũ fiduciario patri mancipat ac tradit.Et ſic de patris poteſtate exit. Hęc verba Caij videtur Theophilus ſuis Gręcis inſtitutionibus attexuiſſe. Curtius ex πατρὶ τρίτον facit,per me ſi libet vel tritonem,vel trituram ex eadem voce refingat,ac ita loquitur. Nannius quidam (vt audio) pro πατρὶ πατὴρ legit , ego vero lego , vt & verti, τὸ τρίτον. Hę ſunt illius rationes quas adducit,credamus,αὐτὸς ἔφα. Ille autem ne cogeretur me ſequi, cum Græce haberetur ἐπίπρασκεν, hoc eſt vendebat , vertit uendebatur , ne opus eſſet perſona venditoris, cum haud dubie ex contextu Græcorum uerborum , & Caij narratione, patrem conſtet illum uenditorem fuiſſe, quod mea annotatio vnica mutata litera planum faciebat.

Titul. De nuptijs ,Parag. Affinitatis, ita Curtius loquitur, Maiore prohibitione, Græce eſt, in editione Baſilienſi κώλαστιν , quod nihili verbum eſt,ideoq; κόλασιν legendum eſt, aut κώλυσιν: Editio Louanienſis habet κόλασιν, ego ma

lui

lui κώλυσιν. Hactenus ille. Caſtigatio autem illa
noſtra in indicem annotatiuncularũ relata non
eſt, vt multa maluimus caſtigare q̃ annotare,
vel quod minimi momenti putabamus, vel ꝙ
verebamur minutiis illis attexendis, in notam
oſtentationis incurrere. Nolo hic tecum φιλονει-
κεῖν, probas enim & noſtra, quanquam tua an
teponas. facile ferimus ſuum cuiq; placere.
Quod autem κόλασιν, hoc eſt pœnam, potius le
gendum ſit, q̃ꝫ κώλυσιν quod prohibitionem ſi-
gnificat, indicant ſtatim ſubſequentia verba,
quibus interpretatur, quid per κόλασιν intelle-
xit, dicens, λέγω δὲ τὴν κεφαλικὴν τιμωρίαν, hoc
eſt teipſo interprete, de capitali pœna loquor.

Titulo, De inutilibus ſtipulationibus.
Parag. Si ſcriptum. Hæc verba Curtius in
margine adiecit: Hic in Græcis additum erat
χωρὶς τοῦ ἢ διαζευτικοῦ, quod nihil ad præſen-
tem literam facit, quapropter ego id in ſequen-
tem tranſtuli, quoniam ibi nonnihil de con-
iunctionibus agitur. Nannius quidam le-
gere fertur χωρὶς τοῦ ἢ διαζητικοῦ, quod non in-
telligo, niſi dicere voluit διαζευκτικοῦ.
Recte coniicit, ita enim a me ſcriptum erat,
ſed errauit chalcographus, omittens ex media

dictione duas literas, & certe facilis eſt lapſus in ἐπαλληλίᾳ duarum ſyllabarum, ferme inter ſe ſimilium, τῆ τι, quam iuſtiſſimam excuſationem ſi mihi non permittit, quo tandem colore elabe ẽ vbi ipſius librari⁹ ſæpe ad eundẽ modũ peccat.

Titulo, De fideiuſſoribus, Parag. In omnibus. Hic Curtius ita ſcribit. Hunc locum aliqui inuertũt, eo (vt videtur) offenſi, quod dicat Theophilus ex ſolutione eius, quod iure ciuili debetur repetitionem non dari, quo quid verius dici poteſt; quanuis id ciuilis cum naturali obligatione commune habeat, hactenus Curtius. Niſi intelligas de obligatione ciuili & naturali ſimul, hoc eſt, quæ mixti generis ſit, falſiſſima adfers, quę enim ciuilis tantummodo obligatio ẽ, ea ſola repetitionem admittit, cum naturalis idem non faciat. Quare eam particulam de non repetendo ſoluto, potius ad naturalem obligationem pertinere arbitratus ſum. Certe ſi ἔκων legas pro ἄκων, vt ego exiſtimaui legendum, nõ poſſunt iſta verba niſi importune, ciuili debito attribui. Naturalis enim debitor, vt cogi non poteſt, ita ſi ſoluerit, repetere ſolutum nequit. Nũc autem cur ἄκων in ἔκων mutandum cenſui, rationes addam, Primum tamẽ ab ęquiſſimo lectore

ſtipu

ſtipulabor, vt totum locum excutiat. Diuiſerat Theophilus ſtipulatiões in ciuiles & naturales. Et ciuiles eas eſſe dicit, vnde naſcantur actiones, quę obligatum condemnari faciãt, & quod inde ſolutum eſt, repeti non poſſe. Plena, me hercle, definitio. Sed nũc audi quomodo naturales defi niat, eas eſſe, quę nec actionem nec condemna- tionem pariant. An plena ſit definitio, alij vide rint, certe ex hac definitione nullam efficaciam, aut vires huius obligationis reperias. Quod ſi hic tantummodo pro ἄκων ἕκων legas, vnica solũ litera mutata, addaſq; ea verba, quę mihi de ſuo loco tranſlata videntur, nempe hęc, ſi tamen ſpõ te quis ſoluerit, ſolutũ repetere non poteſt, nihil video qđ plenitudini definitiõis deeſſe poſſit. Contra ſi ἄκων retineas, eademq; verba defini- tioni ciuilis obligationis aſſuas, vide quam fri geat ſermo. Sed reddamus omnia eius loci ver ba, quo cuncta oculis euidentius pateant. Ait Theophilus, ciuiles obligationes eſſe, ex quibꝰ naſcantur actiones, quæ inſtitutæ contra obli- gatum, eum condemnari faciunt, & ſolutio in- de facta, nõ admittit repetitionem. Nam ſi inui tus, qui obligatus eſt conueniatur, vbi ſoluerit, repetere nõ poteſt. Obſecro cui rei ſeruit hęc vox inuitus; ſiue enĩ volens, ſiue nolens ſoluerit, ęque

ſo-

ſolutum repetere non poteſt. In naturali autem obligatione, non niſi a volente ſolutionem impetres. Vnde ibi mentio volentis peropportuna fuiſſet. Deinde quorſum ille battologiſmus, vt quod ſtatim dixerat, eiſdem verbis repeteret, non aliter quam Mercurius ille apud Ouidium. Et me mihi perfide prodis, Me mihi prodis ait: Age mi Curti, qui hunc locum vt ſanum, integrumq́ transfers, ac tam ægre ſuſtines, quicquã a nobis attrectari, dic mihi rogo per tuam iſtam incomparabilem Iuriſprudentiam, cur, cum Theophilus exorſus, de bifida natura obligationum, ſtatim non obligationẽ, ſed ſtipulationem in duas ſpecies diuidat, aliam ciuilem, aliam naturalem aſſerens. Commonſtra mihi ſi potes naturalem ſtipulationem, quę ea natura contenta eſt, vt ciuilis non ſit.

Ego ſi hunc locum tranſtuliſſem, pro ἐπερωτήσεων legiſſem ἐνοχῶν, aut ſi Græcam vocem retinere voluiſſem, quo minor offenſa eſſet, eam nomine pactionum expoſuiſſem. Plures adhuc ſunt ſcrupuli in eodem loco. Sed quid agas in tanta moroſitate hominum. Vtinam Curtius tam diligenter in reliqua vitia non emendata oculos intendiſſet, q̃ in alienos labores ſeueriter inquirit. Obijcit mihi, quod locum inuerto. ne

lite

litera quidem a me mutatur, ſed quid mihi videatur, in catalogo annotatiuncularum admoneo, liberum cuiq; ſuum ſenſum relinquens.

Mutatum eſt a chalcographis in Louanienſi exemplari καινὸν in κοινὸν, id quia recte mutatum dixi, ac eo elogio meam quodammodo litem feci, vna cum Rutgero Reſcio vapulo. Pie certe Curtius facit, quod Rutgerum Reſciū præceptorem ſuū ita propalā ſuggillat, vt eius verba mentem habere neget, θρέψαι καὶ λυκιδεῖς, θρέψαι κύνας, ὡς τὺ φάγωντι. Sed dicet mihi Curtius. Amicus Socrates, amicus Plato, magis autem amica veritas. Recte. Sed vbi erat iſta veritas in tot bonis Reſcij caſtigationibus. Præclara veritas, quæ vbi ſe multa laudanda offerunt, tacet, linguam non habet, vbi chalcographi error carpendi occaſionem dedit, plus nimio loquax eſt. Atqui dicet, Suppreſſo nomine egi. Qui potuiſti euidentius? qui bis me nominatim citas, citas etiam Louanienſem editionē. Adhuc ſcilicet latebimus, & ignorabitur in q̊s ſpicula contorqueas, quaſi non æque indices, ſiue dicas Homerum, ſiue Troiani belli ſcriptorem. Plus certe aliquando lucis habent ἀντονομασίαι, quam propria nomina.

Sed

Sed audi lector, quomodo res acta ſit. Cũ anno tationes Rutgeri Reſcij meis adiectæ eſſent, ne aliena mihi cederent, ſingulas illius caſtigatiões ipſius nõi aſſerui, ſubinde accinens hoc elogiũ, recte mutauit Reſcius, ſecurus nimirũ de fide au toris. Animaduerti enĩ eũ multa religiõe libros tractare, quamobrem nihil ab eo temere mutatũ credidi, nec iam credo, qcquid enim hic vitij eſt, chalcographorum culpa datum eſt. Tibi fortaſ ſe durior excuſatio videtur (vt debet diſcipulus ἀκριβολικαίως cum præceptore agere) mihi tamen veriſſima habetur. ſcimus enim omnes quãtope re peccẽt chalcographi, præſertim in affinibus vo cabulis, id ſi neſcires, ex tuo iſto libro addiſcere poteras. Pag. enim. 33. Titul. De capitis dimi nutione, Par. Cum autem, ita tranſfers. Quod ſi plures ſint cognati, non ad omnes tutela per tinet. Niſi culpa in chalcographos reiecta, te eri pias, vt illis attribuas pro hac voce agnati cogna ti poſuiſſe, quomodo queſo elaberis? Atqui mi nor hic eſt ſimilitudo vocum, q̃ in κοινὸμ & κανὸμ. Et rurſus de legitima patro. tutel. ita tuus liber habet. Libertus & liberta tutor indigebant, pro tutore. Scimus tuam culpam non eſſe, nõ ſumus tam iniqui, tantum cuperem te eadem erga nos æquitate vti. Me certe κανὼμ legiſſe, vti tu vis, te-

ſtes

ſtes ſunt D. Petrus Amicus. LL. doctor, literarũq; humanarum, & iuris peritiſſimus, D. Daniel ſecretarius Epiſcopi Brixinẽſis, nũc etiam laurea vtriuſq; iuris a D. Alciato cõdecoratus. Filij Buſlidiani & illi nequaquam indocti. Sed afferam ſi vis teſtes etiam tibi domeſticos, M. Iacobum Haloinum, M. Gerardum Bacchuſium, canonicos Brugenſes municipes tuos, viros & eruditione & humanitate ac fide inſignes.

Titul. De actionibus, Parag. Tripli, vbi in noſtram annotationem ita ſcribit. Sunt, inquit, qui hanc literam mutent, & quidem corruptus in numeris locus videtur, ſed recte nec ne, an falſo, item quomodo corrigendus ſit, non poſſum dicere, quoniã conſtitutio Cęſaris, qua modum ſportularum fecit, maiorum incuria in Codice non extat, hactenus ille. Videtur Curtiꝰ intellexiſſe, quaſi certam quantitatem ſportulis præfinierim, qui ſi mea verba perpendiſſet, ſentiret me potius exiſtimaſſe, a Theophilo hanc ſũmam pecuniariam ſportulis aſſignatam, non ꝗ religioſe definiret, ſed quod vel exemplum fingeret, vel ſecundum leges poſteriores eiſdem nominibus pecuniarum diuerſum pretium ſtatueret, quod & ipſe Iuſtianus fecit Inſtitu. De liberto-

rum ſucceſſ. Parag. Sed noſtra, Vbi mille ſeſtertios pro vno aureo computat, cum cētum ſeſtertij tantundem conficiant. Sunt aūt hęc noſtra ỽba, hic numerus cum ſequenti numero non cōuenit, vbi fingit ſex numos vltra ęquum, ratione ſportularum eſſe petitos, mille enim numi pro ipſius hypotheſi non conficiunt, niſi quinque numos ſportularum nomine præſtandos. Qꝫ procul autem abſim ab aſſeueratiōe, ipſa verba p ſe clamant. Non enim neſcij eramus, quam ſæpe in ſportulis variatum eſſet, quę nunc decimas, nunc plns minus duodecimas eorum, quæ in lite petebantur, auferebant. Nihil autem in tota annotatione a me dictum eſt, niſi Theophilum ſibi non conſtare, atq; huic malo vnica litera τ ſubueniri, quę ſi adiecta ſit, Theophilum ſibi concordem fore.

Titul. De replicatione, Pagi. 444. verſu a fine. 8. pro ἐγέγονεν Reſcius ſubſtituit γέγονεν. Nunc audiamus illius cenſuram. Græce eſt, inquit, ἐγέγονεν, quod nihili verbum eſt. ego vero lego οὐ γέγονεν, ſic enim ſcribit Iulius Paulus in lege, Si vnus, de pactis. Pactus ne peteret, poſtea conuenit vt peteret, prius pactum per po-

ſterius

ſterius elidetur, non quidem ipſo iure, & cęt. Quare videant quid agant, qui tam temere eius ſtudij libris manus admouent, in quo non ſatis verſati ſunt. Quid ais Iuriſconſultorū alpha Curti? adeo ne male fecit Reſcius, quod ex ἐγέγονεν voce (vt ipſe ais) nihili germane Græcam fecit? teq; in ea re approbatorem habet. Verum quia τὸ ν quod in omnibus exemplaribus deerat, nec a Viglio vigilãtiſſimo & Iuriſconſultiſſimo homine emẽdatum erat, non adiecit, vt ἀναλφάβητος iuris, a te alpha Iuriſconſultorum, quaſi ferula conuerberabit̃, homo ad annos aliquot in ſtudio iuris non oſcitanter verſatus. Probe rependis τὰ διδακτρα pius diſcipulus. Atqui quod iſte locus jam ſanatus eſt, in eo ille tecum partiarius eſt. Ille literam, quę ſupererat reſecuit, tu duas literas quæ deerant adiecisti. Non audet tecum agere de communi diuidundo, quia tuum beneficium duas literas, ipſius tantummodo vnam habet, id tantum cupit, ne vapulet. Libenter tibi etiam ſuam literam cedit, vt tres habeas ad vberiorem materiam exultandi. Libere triumphes, modo ne ipſe triumphetur. Vide quantum habeat momenti vnica litera, quos animos, faſtus, inſultationes faciat.

Si tã male accipiẽdus eſt, q ex duobus vitijs vnũ ſuſtulerit, alterũ reliquerit, qua cruce dignus erit medicus, qui morbũ nõ tollit, ſed mutat, vt q̃ti die fit in ægrotationibus peracutis, magno cum bono ipſius ægroti, qui inſtantibus fatis eripit. Age mi Curti, docebo te tuis exemplis, veniã nobis deberi, ſi non vbiq; εὐστοχοῦμεν, cũ tu tantus Iuriſconſultus, vt videri vis, & tãtę Grę citatis, non ſemel in reddenda ſententia inpingas, neq; per totã tuã tranſlationem decurram (id fortaſſe alias facturus, ſi denuo reſpondendum fuerit.) Sed mihi vt te tui cõmonefaciam pauciſſima loca ſufficiũt, nec tibi illa obijciã, q̃ meliora nõ potueris, ſed quod meliora non feceris. Habes antidotũ etiam ab aduerſario, cupio enĩ non te ledere, ſed me cũ Rutgero Reſcio defendere.

Tit. Ex quibus cau. manumit. non poſ. Par. Licet. οὐδεὶς γὰρ ἀνέξεται τῶν εὖ φρονούντων προσελθεῖν κληρονομίαν, ἐξ ἧς κέρδος μὲν οὐδέν. τῷ δ' ἀδιτεύοντι, ὕβρεις δὲ μυρίαι, καὶ ζημίαι, καὶ οἱ ἐπὶ δικαστηρίων ἑλκυσμοί. Hæc Curtius ita vertit. Nemo enim, qui modo mentẽ aliquã habeat, hęreditatẽ admittet, ex qua adiens nullũ emolumentum ſperare poſſit, ſed quę multorũ arrogantiã, moleſtiaſq;, dãna & lites ſecũ afferat. Q̃ iniqua lance pondera Græcorũ

verbo,

verborũ rependis. Vbi illic arrogantia? vbi moleſtia? aut quid deniq; hic facit arrogantia? Quæ ignaua & diluta ſunt iſta, lites ſcilicet præ Græcis illis, οἱ ἐπὶ δικαστηρίων ἑλκυσμοί. Quanto ſimplicius & fortius Græca ſonant, quæ ad hũc modum interpretari poſſis. Nullus enim prudens eã ſuſtinebit adire hæreditatẽ, ex qua adeunti, lucri nihil, cõtumeliæ aũt & dãna & raptationes in iudicijs infinitæ. Ac ſtatim ꝓ εὐτελίζεσθαι, qđ eſt euileſcere, tranſtulit lacerari ac minui, præpoſtera αὔξησιν. Sed habeat hoc impune; permitto enĩ vt verbis ludat, modo ſententiam nõ ledat. Poſt aliquot deinde verſus μέχρι δὲ ἑνὸς τὴν οἰκείαν παραχαράττει νομοθεσίαν. Hæc Curtius ita reddit, nam vſq; ad vnũ lex cõſtitutionẽ ſuam vitiat ac corrumpit. Cũ ſenſus ſit Legem Aeliam ſentiã, vnum tantũmodo ſuæ conſtitutiõi aſſcribere.

Mox Par. Eadem. ἐν τούτῳ γὰρ τῷ τρόπῳ τὴν ἑαυτῶν ἐλαττοῦσιν τὴν ὑπόστασιν, id eſt, hoc modo bona ſua diminuunt. Curtius tranſtulit. Et ita facultates leuiter diminuere. Leuiter ſi hic intelligas pro parũ, ſententia vitiatur. Sed puto Curtiũ per hanc vocẽ ĩtelligere temere ſiue facile. Id admonendũ viſum eſt, ne lector deciperetur ambiguitate vocis in illam, q̃ in hanc ſignificationẽ pronioris.

Tit. De his qui ſui aut alieni iuris ſunt. Par.

In po

In poteſtate, ἢ χεῖρας ἐπέβαλεν τούτῳ, ὁ δὲ προλαβὼν ξίφει τοῦτον ἀνεῖλεν. Curtius ſic. Aut cū domīo manus inijcere vellet, dominus eū ferro occupatum interemerit. Bona quidē ſententia, ſed nō horū verborum. Græcus enim intelligit dominū in feriendo priorē fuiſſe, & illius ictus anteuertiſſe.

Tit. eod. Par. Sed mater. ἀλλὰ συγκροτεῖν δικαστὴν καὶ διαγινώσκειν τὰ μεταξὺ αὐτῶν. Curtius ad hūc modum. Sed iudicē cauſam vtriuſq; cognoſcere, & apud ſeſe ſtatuere τὸ συγκροτεῖν δικαστὴν, pro apud ſeſe ſtatuere vertit, cū ſit ſenſus, Iudicem debere partes conuocare, atq; ita de vtriuſq; cā. cognoſcere. Tit. De nuptijs. Par. Affinitatis, ἀγχιστεία δέ ἐστιν οἰκειότης προσώπων. Curtius ſic. Eſt aūt affinitas propria quędā perſonarū qualitas, cū vertendū erat. Eſt aūt affinitas perſonarū neceſſitudo, quod certum genus, & non tam vagum definitioni addit. Tit. De excuſationibus tutorū vel curatorū. Par. Item tria. ἔτι δὲ εἰ πολλάκις ἐσπούδασα τῷ τοῦδε ἐπιτροπὴν ἢ κουρατωρίαν ὑπελθεῖν οὖσαν εὐτελεστάτην, οὐκ ἀποπληρώσει τὸν τῶν τριῶν ἀριθμόν. Curtius ita vertit. Quia ſi forte huius vel illius tutelam vel curationē affectauerim ſuſcipere, quum opulenta eſſet, ea numerū triū tutelarum non explebit. Atqui Græcus non loquitur de opulentis tutelis affectatis, ſed de non

onerofis, nec ſcio cur quiſquã ad defugienda one ra tutelarum, opulẽtam tutelam affectare velit, niſi ad prędam inhiet. Titul. Quibus alie nare licet vel non, εἰκότως οὖν τὸ μὲν περὶ ὑποθήκης διὰ τῆς οἰκείας ἠσφαλίσατο νομοθεσίας. Curtius ſic. Non iniuria ergo ſua rogatione hypothecarũ cauſam ſubuertit, cum Theophilus intelligat, id quod ad hypothecam attinet fundi dotalis, lege com munitum eſſe.

Non deeſſet mihi occaſio hic mi Curti reponendæ tuæ exclamationis, Vide quid a- gant, qui tam temere eius ſtudij libris manus admouent, in quo non ſatis verſati ſunt. Poſſem ſingulas tuę interpretationis offenſas magno o- dio exagitare, ſed nolui gratum facere oſoribus linguarum, nolui te hac in parte imitari. Statu tum mihi fuit ἀπολογεῖν οὐκ ἀντικατηγορεῖν. Tu ſi ſcribere velis, fac id ciuiliter agas, ne ad ſecundũ ictum, non de defenſione ſolum, ſed etiam de vl tione mihi cogitandum ſit. Ad quam ſi incubue ro, vt nec cauſa, ita fortaſſe nec induſtria, nec ani mi mihi defuturi ſunt. Finis.

Louanij ex officina Rutgeri Reſcij,
Menſe Nouemb.
.1536.

W

DIALOGVS
PETRI NANNII ALCMA- riani Louanii in collegio trilingui Latini profeſſoris De milite peregrino.

Olympius & Xenophon. Olym.

SAtis diu eſt Xenophon, quod ex Anglia rediiſti, perfunct⁹ feliciſſime tua legatione, adducto in noſtras partes potentiſs. rege, adeo ut liceat in hoc tuo reditu, nō min⁹ patrię, q̄ tibi gratulari. Nec debes meā gratulationem ut ſerā exiſtimare, cū (ut ſcis) nunc primum te uideam, hactenus in caſtris bello Gelrico detentus, quod bellum cum & noſtram & maiorum noſtrorum ætatem fatigarit, nunc tandem finem accepit. & ut ingenue dicam, non minus mihi q̄ tibi gratulor, quod ſaluus ſub tui pātriæque conſpectum redierim, cuius tñ mihi nō longum uſum promittere poſſum. Audio enim me denuo relegatum iri ad curas Gelricas, ut Principis ab Arangia ducis & fortiſſimi & feliciſſimi cōſiliis interſim, quo oīa in noua prouincia ita cōſtituantur, ne ulli deinceps motus timeri poſſint. Magno uellē me hic

tãtum poſſe, quantũ fortaſſis ab aliquibus exiſtimor: atq; utinã mea canicies eã haberet prudentiam, quæ iſtis annis familiaris eſſe ſolet. Poſtquã enim corporis robore deficimus, nihil ſupereſt uotis, niſi ut mentis ſapientiæq; uires optemus. Xenophon. Video in poſſeſſione prudentię eandem eſſe auiditatem, quę in diuitiis, quę quanto plures poſſidentur, tanto cumulatiores acceſſiones deſiderãtur. minimam eſſe utrobiq; cupiditatem, ubi minimũ poſſidetur. Ego te arbitror potius hac in parte gratias Deo debere agere, q̃ noua uota concipere. Alioquin niſi in te inſignis uis mentis fuiſſet, non toties ditio Burgundica tuis conſiliis feliciſſime uſa fuiſſet. Vires tibi corporis decreuiſſe non minus doleo, q̃ credo, ſed tamen eas nõ plane abſumptas eſſe, indicãt in ꝓximo bello militaria tua opera. Olymp. Relinquam⁹ iſta Xenophon, quæ uidẽtur habere ἀλληλοκολλίαν, redeamuſq; ad tuos Britannos. Quid queſo illi de noſtis armis ſenſere? cum apud Sittardiam equitatu uiceram⁹, peditatu uicti fuimus, cõtra ſpem omnium, maxime cum in iſtis maiorem, quã in illis fiduciã collocaueramus. Xenoph. Non minus Olym

pi de

pi de noſtris armis bene ſperauerunt, q̄ noſtrā cauſam amauerunt, alioqui conſortium armorum euitaſſent. Nemo enim ſanus ſua lęta cum aliorum rebus deſperatis coniungere ſolet, quāobrem ex ſocietate belli, eorum iudicium de noſtris armis facile intelligis. Sed tamē melius de nobis ſenſuri fuiſſent, ſi ipſorum more plus ſpei in ciuilibus copiis, q̄ externo milite, & plus in ſagittis, q̄ in bombardis reponerem9. Nec ſi quid aduerſi nobis accidit, in alias cauſas referunt, q̄ quod milite externo potiſſimū utimur, & uſum ſagittarum omnino abiecimus. Aiuntq; nos qua parte ciuiles copias habuim9, uictores extitiſſe, qua externas, uictos fuiſſe. Equitatum enim licet magna ex parte tyronem, quia tamen potiſſimum ciuibus conſtabat, inſignem operā in eo prælio ediſſe, peditatum ex mercenario milite hinc inde collectum turpiſſime fugam iniiſſe, adeo ut equitum decus corruperit. Credidere tamen hoſtes noſtros tādem omnino debellatum iri, apudq; nos uictoriā, ſed ſeram futurā, uerū Cæſaris interuentum omnia maturiora feciſſe. Hāc diuinationē aiebant ſe ex iſtis rebus colligere, Cliuēſem habere quidem peditatū acerri-

 mum,

mum equitem ueteranum, & diu in noſtris caſtris uerſatum, nec minus ſuę q̃ noſtræ diſciplinæ peritum, ſed pecunia deſtitui, ac proinde ad ictum pugnæ ualere, ad longa belli tempora durare non poſſe, ac propterea illum ſimilem eſſe Philopemeni Acheorum duci pedibus manibuſque eximio, ſed uentre carenti, qui ea membra aleret: cuius fortuna a forma corporis non abludebat, habebat enim inſignem peditatum, qui manibus, equitatum, qui pedibus comparatur, ſed ærarium nullum, contra noſtras opes longiſſima bella ſuſtinere poſſe. Olymp. De fine belli pulchre diuinarunt, & ut decet Anglos ſagittarios, ſcopum attigerunt, quantum ad militem externum ſpectat, non eadem felicitate, ſaltem ut mihi apparet, uidentur iaculari. Nec deeſt quod illorũ rationibus obiici poſſit, quibus non male probaueris noſtram conſuetudinem bellandi legitimis cauſis ſuffultam eſſe. Cæterum tum ea dicenda puto, cum in Anglos inciderimus, tecum enim mihi nulla controuerſia eſt, quem ſcio a patriis moribus non diſſentire. Xenoph. Quæſo te mi Olympi, noli expectare Anglorum occurſum, ſed me, ſi

liber, Anglũ puta. cupio enim ex te audire, quæ illis reſpondeam, ſi denuo illuc redeundum fuerit. Olymp. Vides mi Xenophon præclariſſimas reſpublicas Carthaginē, & Athenas externo milite uſas fuiſſe, atq; etiamnum omnes ferme Europęos uti, ut ſi multitudini exemplorum ſtandum ſit, habeas ingentē numerum eorum, quos ſequaris. cõtra mira eſt eorũ paucitas, qui ſuos tantum cives ad bella producunt, iidemq; illi ob inopiã, quod deſit pecunia redimēdo militi, uidentur id facere, atq; in hoc negocio non ſuum iudicium, ſed neceſſitatem ſequi. Quibus autem eſt liber delectus, neceſſitatis conſilia amplecti non debent, cum neceſſitas non optionē habeat, quid malit, ſed quid cogatur habere. Certe quæcunq; reſpublica antea domeſticis copiis bella ſuſtentauerunt, tandem ad militē externum deſciuere, non relicturi conſuetudinem expertam, niſi alterum genus militię præſtantius iudicaſſent. quod mihi non ſine ratione uidentur feciſſe, maxime, quod qui externo milite utuntur, etiam ſi bis aut ter Martem aduerſum ſentiant, penitus tamen non debellantur, quod contra euenit in illis, quorum ciuis in acie cecidit.

dit. Ibi enim abductis ex agris in militiam colo nis, ex ciuitatibus oppidanis, etiam ante prœliũ agricultura deſeritur, opificia deſtituũtur, quæ ſtus commerciaq; frigent, ut quod infelix pugna adferre ſolcat, iam ſtatim ante pugnam ſentiãt. Quod ſi bellum infelici pugna multos abſumpſerit, non ſuperſunt, aut nõ ſatis ſuperſunt, qui mœnia tueantur. Sæpius uicti ſunt a uariis gen tibus Athenienſes, ad Cheroneam in Bœotia, ad Syracuſas in Sicilia, ad Corinthum in Achaia, idq; ferme cum internecione exercitus, Reſpub. tamen incolumis manſit. Occiſis enim mercena riis, ſupererat ciuis. Lacedæmonii contra, quorum exercitus ciue conſtabat, ſemper antea uictores, ubi ſemel in Leutrica pugna uicti fuere, clade non multo maiore, q̃ quinq; milium hominum, plane in perpetuum fracti ſunt, ſine ulla uiciſſitudine aut recuperatione prioris fortunæ. Nec mirum, cum enim ciuis periit, nec adeſt externa manus, quid hoſti obiicies uel ad agrorum uel ad mœnium defenſionem? Certe expectandum, donec noua pubes ad militiam adoleſcat, niſi muliebrem manum obiicere uelis, qđ apud Spartanos accidiſſe ferũt. Nõ potuit Cli-

uenſis

uenſis urbes ſuas defendere, integro adhuc exercitu, quid futurũ fuiſſet, ſi indigenę in pugna oppetiiſſent? Atq; utinam Galli non niſi ſui generis hominibus ad bella uterentur, q̃ non in lõgum nobis uictoriam diuinarem. Mihi certe uidentur qui mercenarium militem uſurpãt, etiã inter bella quodammodo pace frui. Adeſt eadẽ frequentia in urbibus, celebritas in pagis, cultꝰ in agris, nec niſi in limitibus bellum ſentitur. Contra quorum exercitus non niſi ex ciue cogitur, belli ſenſum non minus in penetralibus regni, q̃ in limitibus percipiunt. Carent uel ex parte, uel ex toto fructibus agrorum, carẽt annona matre & ſuppeditatrice bellici cõmeatus, adeo ut ſi bellũ diutius hæreat, nihil ſuperſit, quo militem alas, tuaq; ipſius fame, quaſi in obſidione, perdomeris. Nec leue illud mihi commodum uidetur, quod ubi peregrino milite utimur, optimus ciuis domi retinetur, perditiſſimus quiſq; ad ſtipendium euolat, ita ut eo modo Reſpub. quaſi bile eiecta ſe purgare uideatur. Ac fere fit, ut mercenarius iſte uel mortem in bello, uel prędã inueniat, noſti enim illud, aut cito mors uenit, aut uictoria lęta. Quamobrẽ e caſtris uel

ob pinguiorem fortunã minus turbulentus ad Remp. redit, uel omnino non redit. Quod ſi per plura commodorum genera eundum eſt, nec illud mihi inter leuiſſima numerandum uidetur, quod ciuis qui domi manet, mãſuetudinem retinet, uitamq; nõ ex libidine, ſed legum arbitrio moderatur, cum contra qui in bello uerſantur, ita plerũq; efferaſcũt, & uiolentiæ & immanitati aſſueſiunt, ut ocium poſtea & legum imperia iniquius ferant. Notum eſt illud Hãnibalis, qui cum Carthagine oratorem e tribunalib9 deturbaſſet, atq; ob eam uim quiritatio in populo fieret, Ego inquit, o ciues inter arma togatæ uitæ conſuetudinem dedidici. Ipſe adeo Plutarchus Marium & Scipionem Africanum uiros in bello maximos, ciuilibus negociis parum idoneos pronuntiauit. Quod ſi tanta inſolentia imperitiaq; legum in præſtantiſſimis ducibus reperitᷓ, quid ſperandum de milite gregario, quem plerunq; & infelix educatio ante bellum, & in bello ſui mores corrumpunt, ut cuius uita ſtudiis aleę & uinolentię potiſſimum abſumatur. Hæc ſunt mi Xenophon, quæ mihi obiter in mentẽ uenere, quæ pro noſtra militia dici poſſunt.

Scis enim nos ex improuiſo in hanc diſputatio-nem incidiſſe, tu qui cum Anglis hoc negotium tractaſti, plura pręmeditata habere potes, quãobrẽ tuas rationes libentiſſime audiero. Xen. Certe Olympi, quanquam extemporaliter, tanta tamen dexteritate noſtris moribus patrocinatus es, ut ſi quid dicere uelim, aut eadem plane, aut nihil omnino dicturus eſſem. Deinde magis memor ſum, quid illi contra nos dixerint, q̃ quid ego reſponderim. acrem enim memoriam in animis relinquunt aduerſariorum rationes, maxime ſi eas non ſatis feliciter refutaueris. Quamobrem ſi libet, referam tibi eorum uerba, ut ſimul & tuis ratiõibus (ſcio enim quod præclare reſpondebis) & meis inuentis inſtrui poſſim, ſi denuo cum Anglis ad eandem conflictationem recidero. Olymp. Age Xenophon, ſed interim te finge Anglum eſſe, quod tibi facillimum puto, quia hanc gentem mirifice amas, ut eodem ardore & pectore, quo ipſi, hanc cauſam peragas. Volo enim nos non tanquam ad palum, ſed quaſi in uero pręlio exerceri, quamobrem quantum potes illorum cauſam communitam facito. Xenoph. Faciam

quod iubes, & plane me obliuiſcar Belgam eſ-ſe, adeo ut putes te purum putum, idq; ex optima moneta, Anglũ audire. Mihi uideris Olympi, quod noſtros bellandi ritus Anglicis moribus anteponis, non tam uere, q̃ pie facere, & potius bonum ciuem præſtare, q̃ fidem rerum tueri. Eſt enim is bonus ciuis, teſte Auguſto Cæſare, qui nihil immutare ſtudet ex moribus reipublicæ. Amor patriæ, & aſſuetudo recepti moris te in hac ſecta detinẽt. Noli mirari quod durius loquor, Anglus enim iam ſum, nõ Brabantus. Sed iſtam conſuetudinem quæ nunc inoleuit, patria noſtra neceſſitatẽ admiſit, non iudicio accerſiuit, nec dum multis ſeculis corroborauit. Ante enim Philippi cognemento Boni ętatem, eam apud noſtros non inuenies. Olim in iſtis regionibus inaudita res fuit extern9 miles, omnia bella agebant́ euocatitio milite. Omnes oppidani, omnes pagani, ad militiam deſcripti erant, habebant ſingula collegia opificum ſua tẽtoria, ſuam caſtrenſem ſupellectilem, bellica inſtrumenta, & ex his leuis armatura cogebatur. Oplitę quos grauis armaturæ milites Romani appellant, ex ſagittariis, qui certo numero in ſingulis

gulis eppidis & pagis conſtituti erant, conficiebantur. Nobilitas equo ſtipendia faciebat, feuda ad eorum uſum diſtincta fuere. quæ ideo ſemper ad primogenitum pertinebant, excluſis cæteris liberis, ut principi eſſet q̃ maturrime certus & deſignatus miles, iſq; ſuis opibus ſufficiẽs ad belli onera, ad quę impar fuiſſet, ſi partẽ de feudis in fratres & ſorores coactus fuiſſet diuidere. Ex hoc genere, & ſimul ex ordinibus ſagittariorum miles perpetuus & ordinarius ad omnia bella deſcriptus erat. Nullus tam repẽs hoſtis exoriri poterat, contra quem non eſſent paratæ copiæ. Quod ſi maiores eſſent hoſtiles exercitus, q̃ ut iſtis uiribus obſiſti poſſet, uel ſorte, uel delectu ex plebeis aſſumebãtur, quorum numerus ad bellum ſufficeret, & pro magnitudine periculi, quartus uel tertius ad bella euocabatur, reliqui tres uel quatuor qui domi remanſerant, eos in caſtris alere cogebantur. Sæpius ſuperiores principes, atque adeo Carolus noſtri Cæſaris proauus, præclaras & maximas res hoc milite egerunt, a cuius morte, cum ferme in omnibus vrbibus ſeditiones eſſent, domeſtico milite uti non licuit.

Inuocatus eſt ad nuptias noſtrę principis,ſimul ad auxilium ferendum Maximilianus Imperator, is militem Germanum ſecum adduxit, qui nec inſtrennue,nec infideliter noſtras partes tutatus eſt, & ingentes uictorias de Gallis reportauit. Interim noſter ciuis, qui in ocio fuit, deſuetudine ab armis degenerauit, adeo ut etiam ſi uoluiſſes, non potuiſſes eius opera uti, nec dubito quin noſtros, ubi ad ueterem peritiam redierint, potius q̃ exteros aſciſcemus. Cæterum ne tum quidem futurum arbitror,ut promiſcue quiuis militiæ adſcribatur, ſed potius id fiet ex Romano more, qui in delectibus faciendis & famam, & cenſum, & ætatem ſingulorum reſpiciebant, Non enim proletarios, aut infames ad bellum, ſed uiros & nominis integri, & patrimonii mediocris conſcribebant, ut hoc tempore faciunt Angli,ne uel uitio morum,uel anguſtiis fortunarum ad aliquod ſcelus prolaberentur. Olim magnificum erat militem fieri, & cingulo caſtrenſi donari. Statim ut quiſque in militiam receptus fuit,non tam ſpe ſpoliorũ, q̃ honore auctum ſeſe credebat. Plurima illis ex Cæſareis inſtitutis priuilegia, plurima ornamen

menta: adeo ut ſequens illa impolitior ætas, decepta (credo) tot dignitatibus cohoneſtationibuſq; hominum caſtrenſium, equitem illum exiſtimarit, quem nos militem dicim9: certe reliqui præ illis pagani uocabantur. Nullus ſeruus, nullus infamis, nullus capite cenſus in hũc ordinem recipiebatur, niſi in ſumma & extrema Reipublicæ neceſſitate. Virtus illis caſtra aperiebat, uirtus ad altiores ordines promouebat, res præclaræ illos centuriones, primipilos, tribunos faciebant. Rurſus finito bello magni honores perfunctos militia excipiebant. Nemo magiſtratum capeſſere poterat, niſi qui decem ſtipendia abſoluiſſet. AEdilitas, cenſura, prætura, cõſulatus, atq; adeo dictatoria maieſtas, premia militaris uirtutis erant. Nunc perditiſſimi quiq; peditum caſtra ſequuntur, quibus nec fama, nec fortuna, nec ſpes ulla eſt reliqua. Hi cum in acie contra hoſtes ſtetere, non amor eos pietate accendit, nimirum peregrinos: non ambitio gloriæ, iam olim infames: non metus amittendæ fortunæ, utpote quibus præter æs alienum nihil ſupereſt. Fit igitur non raro, ut aut cauſas non pugnandi quærant, aut ſi pugnetur,

inter

inter primam uelitationem protinus aufugiãt. procul enim abſunt ab illa conſtantia, ut quem locum uiui cepere, mortui tegãt. Nec mirũ, pro quibus enim ſanguinem funderent? non uxoris pudicitia, non liberorum ſalus, non patrimoniũ defendendum eſt. Nihil illis in fuga timeſcendum. aut celeritate pedum euadunt, aut capiuntur, non ad ſeruitutem aut immodicam redemptionem, ſed ad mulctam exiguæ pecuniæ. Semel menſtruum ſtipendium datum illos abſoluit, ubi rediere in caſtra ſuorum, non fuſtuario, non decimatione, plectuntur, aliiſq; pœnis, quib9 ſuos olim Romana diſciplina caſtigauit, nec captiui apud hoſtes odioſi, nec reduces inter ſuos infames habentur. Illi agnoſcunt ueterem commilitonem, cum quibus aliquando in eiſdem caſtris fuerunt, eſſe quidem ipſos iam diſiunctos auſpicio, ob mercedem ab alio principe datam, non uoluntate ſegregatos, & paulo poſt ad idẽ contubernium redituros. Iſti cõmuni uitio ignoſcunt, & in illorum fuga, ſuæ fugacitatis recordantur. Lacones, quibus in re militari ſumma peritia fuit, neminem fugientem occidebant. Quorſum illud? ut hoſtis intelligeret, dimicationem

tionem ſibi periculoſam, fugam q̃ maxime ſecuram eſſe: quo ſtratagemate nõ paucas uictorias peperere. quod ſi hoc tempore Lacones eſſent, q̃ gauderent ſibi cum hoc genere militum dimicandum eſſe? Non culpo noſtros, non utuntur caſtigatione Romanæ conſuetudinis, quia non licet. ſi enim externum militem ſeueri⁹ tractes, hoſtem effeceris. Iam omitto contumaciã iſtorum aduerſus imperia, ſi gradus addẽdus, ſi ad magnas occaſiones magnis itineribus eundum eſt, felix fueris, ſi intra diem ad ſex miliaria eos protruſeris. Atqui Romanus miles & uictum triduanum, & palos, & arma ſecum geſtans, intra quinque horas uigintiquinq; milia paſſuũ procurrere iubebatur. Nũc hoſtis diu ante prę cognoſcit aduentũ ſuorũ aduerſariorũ, ut q cer tis calculis ꝓgreſſus eorũ ratiocinet᷑, mediis interim tpibus agit, qđ uult, cũ magna ſecuritate. Olim Roman⁹ miles ex itinere feſſus, uallũ con ſtruere, foſſas exhaurire cogebat᷑, nõ id quidẽ ꝑ ociũ, ſed in ipſa pugna. ita enĩ partiebant᷑ labo rẽ, ut ſi in itinere hoſtis ſupueniſſet, media pars in hoſtẽ pugnaret, reliq caſtra cõmunirent. Nũc neceſſaria exercituũ appẽdix uidet᷑ foſſoꝝ agmẽ.

Hi nũc

Hi nunc omnia ea munia ſubeunt, quæ milita-ri manu fieri conſueuere:neq; id in bello ſolum, ſed etiam in altiſſima pace. *Sic* uias per totas prouincias ſtratas,aggeres immēſos contra uim fluminum militari opera confectos legimus. Nunc eo deuentum eſt, ut ignauia & torpedo decori, labor & induſtria probro habeatur. Cęſar in expeditione Tunetenſi ipſe ſarculū in manus arripuit, ut alios ad ſui imitationem traheret, non tamē omnes tale exemplum permouit, nec ſtatim poterat dediſcere id dedecus non eſſe, quod exerceri tanti Cęſaris auguſtis illis manibus conſpiciebāt. Rurſus ſi inopia in caſtris uel ſtipendii, uel commeatus, ſtatim non clancularia conſpiratio,non murmur tectum,ſed aperta ſeditio,clamatur,tumultuatur,denūciant claris minis ſua tranſfugia,niſi ad uotum cumulate ſatiſfiat. Cur igitur tāta inſolentia in caſtris toleratur? quia externo militi bene imperari nō poteſt,ciui poteſt. Nam ſi ciuis in caſtris contumaciter egit, domi reformidat pœnas legum. Externus,ubi peccauit,uel tranſfugit ad hoſtes, uel ad patriam longe diſſitam reuertitur,ubi de ſe quiduis emētiri poteſt,& cum peſſime ſe geſſe

rit,

rit omnia ad gloriam ſuam refingere. Interim miſer dux ſuis conſiliis, temporibus, rationibus in bello uti nequit. Romani domi uiuebant in libertate: in caſtris unius imperio & dominatui ſubiiciebantur, nulla contra ducem prouocatio, nihil interceſſio tribunorum poterat, de indemnatis, de inauditis Conſul ſupplicium ſumebat. Nunc cõtra fit, domi habemus regium dominatum, in caſtris Democratiam, uel potius Anarchiam. Quamobrem Anglorum ratio in bellis mihi magnopere arridet, qui delectiſſimum quenq; ad bella educunt. Priſci illi Germani, ut autor eſt tuus Tacitus, diſcreti per gentes & familias in acie conſiſtebant, proximi ſanguine, proximis ſtationibus coniungebantur, quo amor, & mutua inuicem reuerentia quenq; ad fortiter agendum accenderet. Plurimũ enim amor, plurimum in bello pudor poteſt. Ideoq; Agamemnon omnium Imperatorum, teſte Platone, abſolutiſſimus, nec gentes in acie confundit, eoſq; ad mutuam ſui reuerentiam hortatur. Tam fortes, q̃ ignaui formidine mortis attingũtur, ſed in hoc differũt, quod fortis pudore ignominiæ uincit & calcat formidinem, ignauus a

formidine cõculcatur. Iã ſi ante oculos uideas, quos oculis uiraq; chariores habes, quomodo poteris eos in periculo deſerere? quorum uulneribus te periturum credis. Nota eſt illa uox Mezētii, q̃ ꝑ ſe filiũ ſub manibus Aneę reliquerat.

Tanta ne me tenuit uiuēdi nate uoluptas?
Vt pro me hoſtili paterer ſuccedere dextrę,
Quē genui, tua ne hęc genitor ꝑ uulnera ſeruor?
Morte tua uiuens, heu nunc miſero mihi demũ.
Exilium infœlix, nunc alte uulnus adactum.

Redit igit' in pręliũ ſenex, uel ad mortē ſuã, uel ad ultionem filii: nec recuſat alterutram ſortem. Vnde idem Germani ſub oculis parentũ, liberorum, ac coniugum pugnã conſerebant, ut in conſpectu haberēt, quorum uita & pudicitia armis protegenda eſſet. Thebanorum ſacram illam legionem, quæ ex amatoribus conſtabat, de uirtute Alexander Magnus, quanq̃ & hoſtis & uictor maximo opere admiratus eſt. Tantum in bello poteſt mutua charorum uultuum conſpectio. Nunc in unam aciem ſępe coeuut Bremēſis ex Cymbria, Cattus ex Heſſia, Sycamber ex Gelria, Bathauus ex Hollandia, uultu, moribus, animis, linguis inter ſe non minus diſiuncti,

cti.q̃ incogniti.ut taceam Hiſpanos,Italos,Hũgaros,Danos,Gedanos,Anglos,Sarmatas,homines toto orbe diſſitos, in iiſdem caſtris contineri.Non ergo mirum, parum illas dextras effi cere,ubi in animis corporibuſq; tanta eſt diſcordia & diuerſitas. Venio nunc ad rationes tuas, quibus putas uſu extranei militis in limitibus tantum bellum ſentiri, eo quod oppidani & pagani ſuis opificiis & culturę agrorum relinquantur. Eſt certe id non parum, præſertim in locis ubi minor eſt hominum frequentia : ſed ea eſt populoſitas in noſtris prouinciis, ut ſi quintus aut ſextus ad bellum euocetur, nulla ſint munia in urbanis aut ruſticis negotiis ceſſatura. His quoque & illud adiicio, quod externus miles, dum ſociorum agrum tranſit, non minorem uaſtitatem facit,quam ſi in hoſtico uerſaretur.exceptis enim incẽdiis & captiuitatibus, nihil illorum iniuria ab hoſtili ſeuitia diſcrepat.

Dices idem a domeſtico milite fieri , fateor & agnoſco , ſed horum petulantiæ facilius frenum iniici poteſt, cum non libera æque habeãt tranſfugia, quippe qui domi bona ſua obnoxia habeant & legum & iudicum ſententiis.

In externis non eadem facultas caſtigandi, qui niſi indulgentiſſime habeantur, ſacramentum militare non magnopere curant. Iam quod dicis militem ex ciuibus conſcriptum efferari armis, nec facile cum reſtitui togatæ uitæ, ſcopum attigiſti. Nulla res formidoloſior reipublicæ, q̃ multitudo quæ arma retinet, & bellum non habet, dictumq; a ſapientibus. Melius Romanis negocia, q̃ ocia committi: multiſq; hiſtoriis doceri poteſt, bella externa uel ad ciuiles pugnas, uel immutato reipublicæ ſtatu ad nouas res ſolere prorumpere. Sed huic malo aliquid remedii inueniri poteſt. Confecto bello deducantur coloniæ in agrum hoſtilem, ut ab Romanis fieri conſueuit, ibidemq; miles agros & domicilia accipiat, quorum poſſeſſionibus futurum eſt, ut abhorreat ab omni ſeditione. Nihil enim tã inquietum, q̃ penuria: nihil tam placidum, q̃ opulentia. Hos agros quia olim alterius dominii fuere, neceſſum erit & cultura & armatura defendi, ita paulatim fient agricolę, & uſum belli retinebunt. Ego id in noſtri ſeculi moribus uehementer culpo, quod nulla ſunt certa præmia militari ſenectuti. Quod ſi ueterano militi iam

annis

annis & ſtipendiis fracto, qui probe ſuum munus expleuit, de publico uictus daretur, ut olim Athenis in Pritaneio: ſi in bello extinctis, peculiaria & honeſtiora ſepulchra aſſignarentur: ſi pupilli, quorum parentes in bello perierint, publicis ſumptibus alerentur: ſi mutilatis in prælíis pręſidium aliquod aduerſus mendicitatem conſtitueretur, alia eſſet in militibus noſtris animorum alacritas, uulnerum ſecuritas, ſenii contemptus. Dices non eſſe grauandum ærarium, nec ego grauari uelim, ſunt rationes quibus id minimo incommodo reipublicę fieri poſſet. Sed de illis alias. Quod autem putas eum qui externo milite utitur, poſt unam & alteram cladē non concidere, qui ciue utitur una prælii calamitate in æternum ſubrui, magnam rem dicis mi Olympi, & magna eam facundia adornaſti, ſed quia incepi omnes rationes tuas uellicare, nec hanc mihi puto intactam relinquendam. Oportet enim uerborū eſſe diſſenſionem, ſi colloquium non mutū uelis. ubi enim conſenſus, ibi eſt finis diſputationis. Raro mi Olympi tam crudelis eſt cędes, ut non maior pars incolumis euadat, quibus poſtea ad præſidia urbium uti licet,

cet. Cæterum & huic malo ita ſuccurri poteſt, ſi ueterem Germaniæ morem retineamus: illi ſingulis annis dimidiam partem populi uel ad ſua uel ad externa bella emittebant, interea pars ea quæ domi remanſerat, agros colebat, & bellantes alebat, exacto anno bellatrix pars ab armis ad culturam agrorum redibat, qui hactenus agricolæ fuerant militiæ aſſcribebantur, ita uiciſſim bellis & agris aſſueſiebant, adeo ut nemo non militarem peritiam & ruſticanam perceptam haberet. Finge nunc in tali populo unã partem deuictam eſſe, nonne ſupereſt reliqua pars nondum bello attacta? Tecum cogita, ſi tot noſtræ iſtæ ditiones & tam populoſæ uerũ uſum armorum haberent, q̃ multa millia hominum in aciem educerent: uix Xerxes aut Darius eos numero uicerit. Iam id quoque commodi eſt in hac parte, quod ſi ciue ad bella utaris, pecunia inter manus tuorum retinetur, ſi contra externis militibus bellum exerceas, abit pecunia cum illis ad peregrinas prouincias. Nunc quæſo mihi uide, quid bello finito agas cum externo milite, qui non raro uim ſuam conuertit aduerſus eos, quorum ſtipendiis

alitus

alitus fuit? Si quæras exempla, ita Regium, ita Meſſana a ſuis militibus occupatę, ita Carthago obſeſſa, & in eas anguſtias redacta, ut Romanos paulo ante hoſtes in auxilium implorarit, ita Gallia auorum noſtrorum memoria direpta, uexata, uaſtata fuit. Sic Græcia, ſic Thracia periit per Turcas, cuius commilitio utebantur, ſic Britannia in Anglorum manus uenit, nec ſolum patriam, ſed etiam nomen ſuum amiſit. Recte igitur faciunt, qui in ſuis bellis ciuem malunt, quam peregrinũ armare. Athenienſes ſuo milite uſi Darium & Xerxen ſuperarunt: externo utentes, in ditionem Philippi uenerunt. En duas maximas reſpublicas Carthaginem & Romam, altera perpetuo ad ſua bella peregrinum militem adhibuit, altera ciuem: ſed quæ ciuem adhibuit, alteram uicit & orbi terrarum ſuum iugum impoſuit. Quamobrem mihi Angli rectiſſime omnino facere uidentur, quod ciue potius, quam externo milite ad uictoriam nituntur. Olympius. Facile tibi aſſentirer, ſi talem haberemus ciuem, qualem tu mihi tuis quaſi legibus inſtituis, nam mihi tua iſta oratione non tam mea dicta refu-

ta refutare,q̃ nouam diſciplinam militarem cō-
dere uideris. Cæterum ut nunc ſunt mores,ual
de mecum ambigo, an ciuilibus copiis Reipu.
ſalus committi poſſit. Vides quæ diuitię,& quę
diuitiarum comites luxuria, & ignauia noſtras
ditiones occupauerint.Romanorum,Athenien
ſium, Laconum ciuis e duriſſima uita ad caſtra
procedebat, humi cubare, pedibus capitibuſq;
intectis per niues & æſtus incedere, allium & ce
pas , & lupinum arrodere , tam conſuetum illis
fuit, ut moleſtum non crederetur . Veſtis erat
non ſerico mollis , non uiolaceo colore purpu-
rea , ſed temere ex pellibus conſuta,diptheram
uocabant.Lacon miratus in ſtructura ædiū tra-
bes quadratas,quæſiuit, num tales arbores na-
ſcerentur. Quid ſi uidiſſet eas auro bracteatas,
& omni genere imaginum quaſi uiuas anima-
taſq;? ſi uidiſſet aſarota noſtra in pauimentis,&
opus quaſi gemmatum pedibus calcari? ſi tho-
ros nō ex herba cōgeſtos,ſed plumea intus mol-
licie follicātes,foris auro ſericoq; picturatos.Nō
loquor de nobilitate,quorum ſtemmatis multū
indulgendum puto : plebeiorum ædes his deli-
tiis laſciuiūt, Si cortinas aſpicias, putes ſub illis

uelis

uelis tabernaculum Moyſis contineri. A tali diatriba mollicierum non exiſtimo utile homines ad bellum euocari. Quod ſi non ubiq; tales corruptelę, in genere tamen longiſſime diſtam9 a duritia uitę priſcorũ bellatorum. Quid quęſo in bellis ab illo ſperes? qui ex umbra ad ſolē, ex ocio ad laborem, ex ſecuritate ad pericula, ex uoluptatibus ad uulnera euocātur. Scipio Africanus in Sicilia multos opulentos eius inſulæ ciues in equitatum ſuum aſſcripſit, deinde optionem illis dedit, ut domi manerent, ſi uellent arma & equos aliis concedere, arrepta eſt conditio. Habuit igitur, teſte Liuio, fortiſſimos uiros pro ignauis illis diuitibus, quibus nõ ante tubā tremor occupat artus, ſed anteq̃ domo egrediũtur, iam metu & deſperatione luridum illum mortis colorem in uultibus oſtendunt. Sed, ut dixi, facile tibi aſſentior, ciue omnia bella patranda eſſe, modo tu eos ad ueterem fortitudinem tuis legibus refingas. Xenoph. Putabā, Olympi me uel perſuaſiſſe, uel fatigaſſe te, ut a noua oratione abhorreres, ſed ut uideo, Anthei in morem, uires tibi colluctatione diſputandi, non laſſeſcunt, ſed confirmantur. Ego tamē pro

re pauca loquar, ne uidear deſperatione patrociniũ cauſę meę abieciſſe, & ad iuriſperitorũ replicationem me accingã. Non ſunt Olympi noſtrę nationes omnino delitiis fractæ, quicquid accubat finibus Gallię & Gelrię, lõgo uſu bellũ perdidicit, iis locis eductus miles Alemannorũ robori nõ male reſpõdet. corpora certe ubiq; egregia. Iubebat Pirrhus optim⁹ autor diſciplinę militaris dari ſibi proceros hoẽs, ſe enim curaturũ, ut audaces & animoſi eſſent. Dictũ eſt a Iulio Cęſare, ſuos etiã unguentatos bene pugnare. Pulcherrima bella geſſit Cimon Atheniẽſis delitiis infamis. Pulcherrima Scipio Africanus, cui⁹ nequitia etiã a magnis autoribus notata fuit. Pulcherrima Iulius Cęſar, nõ effœminatus, ſed oĩm uirorũ fœmina. Pulcherrima Narzes Eunuch⁹. Pulcherrima Semiramis, atq; adeo Anglię regina, detento perigrinis bellis in Gallia marito, Scotos ingẽti clade affecit, capto illorũ rege Dauide. Quod ſi mollicies uel ſexu ĩgenita, uel moribus accerſita nõ obſtat ducibus, quo min⁹ res pręclaras gerant, cur de milite deſperandũ, cui⁹ opera aliena ſapiẽtia & uirtute regitur? Sed de his ſatis, uideor enim mihi iniquo iure tecum agere,

gere, qui prolixius loquor, & pro ſimplici tua clepſydra duplicē uſurpo. Olym. Nō hercle prolixe, multas enim res paucis uerbis coarctaſti, ut dēſum te liceat dicere, prolixū nequaq̄: nec talē prolixitatē faſtidiendā puto, quamobrem ſi quid addere libebit, non habebis auditorem oſcitabundum. Xenoph. Hora in ſenatum abeundi non procul abeſt, deinde iſta bellica negocia ſępe nos extraordinariis temporibus in curiam uocant. Quamobrem malim tempeſtiue ad alteram partē orationis tranſire, qua dixi Anglos ſuas ſagittas, q̄ noſtras bombardas efficaciores ad uictoriam exiſtimare, qua in re ſcio te acriorem controuerſiam, q̄ in ſuperioribus facturum, cæterum quibus id rationibus conentur euincere, compendioſe exponam. Ipſi certe tot ſuas in Gallia, Scotia, Hiſpania præclaras res, arcubus imputant. Ereptam Gallis Aquitaniam, Normanniam, aliaſque prouincias, reges captos, nobilitatē omnem toties occiſam, ad uim ſagittarum referunt, eademq; arma non ſolū ipſis in Europa, ſed in AEgypto aduerſus Mahumetanos formidoloſa & uictricia fuiſſe, nec uident̄ eorū uerba ratione carere,

Primum quod pluuioſo tempore madeſcēte nitro, uix ullū uſum ex bombardis habeas, quod magno ſuo malo Chriſtiani experti ſunt apud Illiricos in oppido illo Caſtello nouo, ubi Hiſpanus miles hactenꝰ inuictus, plane trucidatus eſt, quod pluuia omnem uim bombardarū extinxerat, hoſtis autem contra ſagittis uteretur, quorū impetus pluuia hebetari utcunq; potuit, extingui non potuit. Rurſus apud Argierā grauiter laboratum eſt contra eruptiones oppidanorū, qui in Cęſarianos uſu bombardarum ob imbres deſtitutos, ingentē uim ſagittarū impune effuderunt. Habēt pręterea id cōmodi arcꝰ, quod facillime inſtruūtur, haſtili tantū & neruo opus eſt, quorū materia ubiq; offertur. Ad bombardas inſtruēdas operę metallicorū, officinę fabrorū, cū omni ſuo apparatu neceſſario deſiderātur. Nitrū requiritur, ſerenū cœlū requiritur, & cū oīa feceris ſępe inter amicos fœdifragę diſſiliūt, & nō minꝰ ſuos q̄ hoſtes ledūt, nō aliter q̄ elephātes, q ſępe ſuorū agmē (auerſi ab hoſtibꝰ) diſſipāt ac ꝓterūt. Quod ſi celerrima itinera capeſſenda ſūt, nō eadē liuitas in bōbardis quę in ſagittis. Quod ſi, ut ī fuga fit, arma abiiciēda ſūt, bōbar

bõbardæ integræ ad manus hoſtiles perueniũt, & quaſi tranſfugę aduerſariorum opes adiuuãt: arcus facile in fuga uel aſportatur, uel corrumpitur, inciſo neruo, amputatis crenis, fractis ſagittis, nullum uſum ſui hoſtibus relinquit. Herculem uſum fuiſſe aiunt Angli duplici genere armorum claua ſcilicet & arcu: arcu quidem eminus,claua autem cominus, ubi pugna ad manus uenerat,ac proinde ſemper inuictum fuiſſe, ſe imitatores Herculis iiſdem armis, eademque felicitate in bellis graſſari . Atq; adeo Flandros tuos quondam huius inſtituti æmulos, eadẽ tela,eadem dexteritate felicitateq; uſurpaſſe referunt,eoſq; a peritia tractãdi arcus nomen inue uiſſe , Flandrum enim Alemanico uocabulo ſagittam dici,quæ etymologia Scepperum quoq; uirum doctiſſimum autorem habet . Romani ferme omnes gentes inoffenſe domuerũt.Apud Perſas tamẽ Scythaſq; eorum uictoria quaſi impeditis pedibus ſine ullo progreſſu uiſa eſt hærere.Non Macedonib⁹ ſua ſariſſa, nõ Hiſpanis lancea , non Græcis machera , non Germanis framea, non Vindelicis ſecuris , non Gallis geſa eam opem attulerunt,ut Romanam ſeruitu-

tem euaderent. Quid cauſæ putas? niſi quod Scythæ, Sarmatæ, Parthi celeberrimos habent ſagittarios. Hi Craſſum Craſſiq; filium cū uniuerſo exercitu ad interneccionem trucidarūt. Hi Antonium ad fugam cōpulerunt, amiſſa ingēti parte exercitus. Hi Iulianū, hi Caracallā occiderūt, hi Valerianū, Imperatorē ipſum, & Imperatoris patrem in perpetuis uinclis habuere. Ab iiſdem gentibus cum iiſdem armis Gothi, Alani, Hunni, Vvandali proceſſere, qui Romanis omnes prouincias, atq; adeo ipſam Romam eripuere. Hi nunc ſub nomine Turcarum & Tartatorum, nā eadem gens eſt, tot regna Chriſtianis populis extorſere. Nec mirum, optime utuntur arcubus, optime euibrant ſagittas. Eſt quidem fulminei impetus bombarda, fateor: & fragoris horrendi, fateor id quoq;: ſed decem ferme citius ſagittas emiſeris, q̄ unam glandem. Cæterum ubi conſertæ manus ſunt, permixti manipuli, hęretq; pede pes, denſuſq; uiro uir, quid bōbardis facies? quæ ſi tum emittuntur, quaſi cęci Andabatę, non minus per ſociorum agmen, q̄ ꝑ hoſtile penetrabunt. At ſagittarii a tergo ſuorū poſiti, ita poſſunt moderari ictus, ut tranſmiſſis

inoffen

inoffenſe ſuorum capitibus, non niſi in exercitu hoſtili tela recidant, adeo ut aduerſarius hoſtem in mediis ſuis copiis habere uideatur. Nec igna uum credas hoc genus miſſilium. Audiui Anglos ſępius iactitare, neq; id temere, nullum eſſe tam bene armatum, quem non uel impetu ſagittæ deiiciant, uel ictu tranſfodiant. Habent ipſi egregia corpora, uires pręclaras, ſed eas adiuuant arte & peritia. A pueris edocent ad ſagittas, hoc illis ludicrum, hoc ſerium, hoc belli & pacis ſtudiũ. Magiſter qui iuniores ictus docet, iubet eos ſibi perſuadere, ſcopum quem petũt, Gallum eſſe: ita a teneris & odio hoſtili, & peritia armorum imbuũtur, & inter pueriles ludos cædes ac uulnera hoſtium meditantur: & nunc in hoc bello iiſdem armis ueteres ſuas uictorias iterare ſeſe ſperant, nec puto eos falſa auguria concipere. Hæc ſunt eruditiſſime Olympi, quę Angli in commendationem ſuorum armorum ſummo mihi iure pręedicare uidẽtur. Tu ſi quid contra ſentis, ſi quid habes, ut plurimũ habes, Noui enim fœcunditatem tui pectoris, oſtendes nobis argumenta, quibus laus bombardarum uindicari queat, id ego cupidiſſime auſcultabo:

nam

nam tametſi ſum factus Anglus, non tamen ita faueo arcubus, ut bombordis ſuum patrociniũ inuideam. Olympius. Recte. Non enim Iouis arma fulmen & tonitru, Herculis ſagittis poſtponenda ſunt, nec enim uel in celeritate, uel in uiribus ullum inter fulmen & bombardas diſcrimen. Idem fragor, eadem emicatio igniũ, idem impetus. Quicquid in uicino eſt conquaſſatur, quicquid obuiam diſiicitur, procul etiam diſſita contremiſcunt. Quod ſi magnifice & dithyrambice eſt loquendum, putarem Iouem, ſi denuo inſtaret Gygantomachia, relictis fulminibus, bombardas electurum, maxime quia iſtę longe celerius apparantur. Vt fulmen habeas, opꝰ eſt tota Aethna, tota officina Vulcani, Brontis, Steropiſq; ſudoribus, oportet ſpiramẽta halituſq; e paludibus euaporari, nubibus includi, deinde igneſcere, tũ tandẽ uel ſua ſponte erũpere, uel cõcurſatione nubiũ elidi. Ad bõbardas ſtuppã ſi adhibeas, uel unica ſcintilla fumigãtẽ, & exiguum nitri, abunde inſtructus es ad opera naturæ æmula, & ipſi propemodum cœlo admirãda. Quod olim catapulta, phalarica, aries, onagri, uineæ, aggeres effecere, ſola nũc præſtat

bom-

bombardæ uiolentia. Si uis uallum ſubrui, portas deiici, turres effundi, mœnia diſturbari, agmina perrumpi, arma uiroſq;, equites equoſq; per cœlum raptari, ſi uis aerem oppleri non puluere, ſed membris armiſq; diſſipatis, non opus eſt ut quæras alias machinas, q̄ bombardas, tantaq; eſt in iis utilitas, ut reliqua inſtrumenta neglectu in obliuionem abierint. Nihil igitur mirum, ſi laudem bellicam non ſinam bombardis ab arcubus eripi. Scio gentem Anglicanam miranda feciſſe, eorũq; ſagittas aliquot ſeculis ubiq; uictrices fuiſſe, ſed tum cum bombardæ in uſu non erant, nunc ut adſit idem robur corporum, eadem animorum firmitudo, de quibus ſane optime ſentio: uereor tamen, ne nõ ſit eadem felicitas, ſi ſolis ſagittis uti uelint. Sed bene quod gens ſolertiſſima ueteribus armis noua coniũgit. Quamobrem duplex mihi ſpes in Anglicano milite reponenda uidetur, quia & Iouis & Herculis telis ſimul utitur. Quod autem me premis exemplo Turcarum, contra quorum ſagittas toties infeliciter a Chriſtianis populis dimicatur. Carpit nos Turca, ut Sertorius ille caudam equinam: per partes enim &

quaſi

quaſi ſingulos conſumit,cum uniuerſis nunquã dimicatur?, Teſtis eſt Vienna Auſtriæ , ad quã obſidendam cum immẽſas copias ab Indis uſq; ad nos traheret, audito Cæſaris exercitu, qui tũ prævalidus erat,citra ullam tentationem pugnę in regnum aufugit. His adde, quod exercitui Turcarum ſemper adeſt bombardariorum ma nus, quibus non minus noſtras clades, q̃ ſagittariis imputes. His uerbis ultro citroq; habitis,ſuperuenit uiator,qui eos de magnis negociis ad reginam citaret,quamobrẽ illi abrupto colloquio in curiam abire.

BIBLIOTECA ... ROMA ...